Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Passionale sanctorum - Cod. Aug. perg. 32

[S.l.], [9. Jahrh.]

Omelia in die nat. sancti Vedasti pontificis dicenda ad populum

urn:nbn:de:bsz:31-65346

Visual Library

Prestante domino nostro ihesu christo qui cum patre et spiritu sancto regnat deus per omnia saecula saeculorum amen.

OMELIA IN DIE NAT. SCI VEDASTI PONTIFICIS DICENDA AD POPULUM.

Gaudere dilectissimi fratres in domino quia dulcissimi patris et protectoris nostri sancti scilicet uedasti sollemnia conuenistis. et spiritali iocunditate laetamini. et ex intimo cordis affectu clementiam domini nostri ihesu christi conlaudate. qui uos ab idolatriae erroribus ad agnitionem sui sancti nominis per huius sancti sacerdotis praedicationem perducere dignatus est. Sequamur unanimiter tam sancti doctoris uestigia. Non simus tanti patris degeneres filii. sed sanctitate uitae illius morum nobilitatem imitemur. Abiciamus a nobis opera tenebrarum. et induamus nos arma lucis sicut in die honeste ambulemus. quia nox ignorantiae recessit. et uerae scientiae nobis lumen inluxit ut filii lucis in omni castitate et pietate ambulemus. Non sint alicuius nequitiae uel malitiae occulta in cordibus nostris semina. quia homo uidet in facie. deus autem corda considerat. nec aliquid illius omnipotentiae oculis occultari potest. Praeparemus nos in omni bonitate. ut praeclarus pontifex et pius praedicator noster uedastus. gaudens nos ante tribunal summi iudicis in die ultimo deducat. quatenus ex numerositate filiorum illius cumuletur gloria. et nos cum illo desiderabilem audire mereamur sententiam. uenite benedicti patris mei percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. Ille de caelesti patria piis orationibus nostrum cotidiae agonem adiuuare non desistit. desiderans suos carissimos filios quos paterna pietate genuit in christo. ad gloriam perpetuae peruenire beatitudinis. Quapropter carissimi fratres unusquisque in suo ordine secundum uirium facultatem fortiter diabolicis resistat suggestionibus. ut aeterna triumphi coronam cum pio parente nostro accipere dignus efficiatur. Non sunt enim condignae ait apostolus passiones huius temporis ad superuenturam gloriam quae reuelabitur in nobis.

Igitur breue laboris tempus diuina nobis uoluit esse pietas. et agonis nostri retributionem esse perpetuam. Et per temporali tribulatione permanentis gloriae mercede gaudere. Audiuimus itaque cum deo dilecti sacerdotis uita legeretur. quantam in omni bonitate habuit deuotionem. quomodo per abstinentiae rigorem suum castigauit corpus. qualiter per caritatis officia omnibus prodesse contendit. Intendamus cum omni alacritate mentis. et tota uirium facultate illius uitae uestigia ut beatitudinis in qua regnat cum christo consortes effici mereamur. Nulla carnalis concupiscentia. Nulla saecularis ambitio impediat iter nostrum. Curramus per opera pietatis. ad caelestis patriae portas. Expectant nos ciues aeternae ciuitatis. et rex ipse qui uult omnes homines saluos fieri. nostram cum sanctis suis uehementer desiderat salutem. Decet enim nos illius esse cooperatores in salute nostra. qui nos in tantum dilexit. ut proprio filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum. Diligamus eum. quia ille prior dilexit nos.

Faciamus illius uoluntatem. quia uoluntas illius felicitas est nostra. Habeamus semper in mente quod ipsa ueritas cuidam diuiti respondit in euangelio. si uis in uitam ingredi serua mandata. quae sunt mandata nisi caritas dei et dilectio proximi. In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae. Dilectio itaque proximi in operibus misericordiae comprobatur. Qui saeculi habet substantiam. Auxilietur non habenti. qui doctrinae habeat scientiam. corrigat errantem. Dicente apostolo iacobo. Qui conuerterit peccatorem ab errore uiae suae. cooperit multitudinem peccatorum suorum. Scire debemus carissimi fratres quod quantas animas quisque lucrauerit deo. tantas accepturus erit mercedes a deo. quantam gloriam habere putatis sanctum uedastum in caelesti regno cum christo. qui tam innumerabilem populum sedula praedicatione christo lucrauit. uel quis sufficit. quanta sit gloria animae illius speratis inter angelos. dum tantum honorem habet corpus illius inter homines. uel quid non potest precatus pro nobis impetrare in caelis.

[illegible] sanctitatis in mundo claruit miraculis sed omnibus miraculis maior est evangelicae praedicationis instantia et caritatis ardor cuius in corde flagrantia. Valde enim utiliter acceptam dominicae pecuniae talentum multiplicare studuit. Ideo feliciter sibi dominum audit dicentem: Euge serve bone et fidelis quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Parvi sunt praesentis vitae bona in comparationem futurorum bonorum sed quibus fideliter laboratur in illis feliciter requiescet. Iste sit videtis concurrere fratres voluistis, pro multorum laboravit salute. Ideo plurimorum praemia inde videtur suscepturus erat. Et ipsum per abstinentiae maceravit rigorem, alios per praedicationis profusit sedulitatem. Ideo laudabilis omnibus extitit. Iuxta vocem sapientissimi Salomonis: memoria iusti cum laudibus, et nomen impiorum putrescat. Dum vita iustorum laudabiliter, iniquitas impiorum quasi stercus detestatur ab omnibus. Quid est felicius quam in bona conversatione vitam perpetuam promereri beatitudinis gloriam et omnium ore laudari. Cogitemus carissimi qua fiducia veniamus ante tribunal summi iudicis, quid boni operis nobiscum deferimus. Equitas illius nullius accipit personam sed unicuique reddet secundum opera sua, et qui plus laborat in opere dei plus mercedis accipiet in regno dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea viriliter suam operetur salutem. Omnibus caelestis regni ianua patescit. Sed meritis suis qualitas alium introducit, alium expellit. Quam miserum est hominem a gloria excludi sanctorum et aeternis cum diabolo deputari flammis. Peccatorum sarcina animam submergit inferni [illegible]. Iustitiae abundantia ad caelestem vehit gloriam. Frequentemus saepius ecclesiam Christi. Audiamus in ea diligentius verba dei, et quae aure percipimus hoc corde retineamus. Ut boni operis fructum feramus in patientia et fraterno amore unusquisque alium adiuvare studeat. Habemus praeclarissimi patris nostri abundanter exempla, in omni cursu suo officio insulis fervore in sua longanimitate et perseverantia totius bonitatis (?) illius, quem [illegible] fidelis uniter laude et amore diligamus,

amore [illegible] intentione in omni conversatione sancta sequamur vestigia, quatenus et vitae illius consortes aeternae beatitudinis cum illo gloriam accipere mereamur. Auxiliante nos rege aeterno domino nostro Iesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

INCIPIT PASSIO SCAE EULALIAE QUAE PASSA EST IN CIVITATE BARCINONA SUB DATIANO PRAESIDE PRID. ID. FEBR.

In diebus illis Eulalia sancta Barcinonensium civis et incola, nobilis genere, a tenore aetatis suae tempore dominum Iesum ex toto corde amabat. Morabatur autem cum parentibus suis in praediolo proprio quod erat situm paulo longius a civitate, quae per humilitatem et tantam sapientiam quae ultra aetatem eius erat in illa. Parentes eius plusquam indulgentissime amabant eam. Et cum in uno proposito persistens nihil aliud ageret nisi cotidianis diebus insequestrata cellula cum sodalibus quas secum adiunxerat in laudem hymnorum domino deserviret, haec faciendo cum pervenisset ad pubescentes annos, coepit insania temporum principum saeva persecutio adversus christianos, ut si quis sacrificare noluisset diversis poenarum cruciatibus morte afficeretur. Datianus praeses adveniens in civitate Barcinonensium sacrificare diis, et iussit perquiri christianos ut sacrificarent. De qua re mox flagravit opinio per impiissimum iudicem civitatem esse turbatam. Quod audiens sancta Eulalia hilaris effecta est et magno gaudio repleta, levatis oculis in caelum dicens: Gratias tibi domine Iesu Christe et gloria nomini tuo sancto, quia video quod cupiebam. Et si corde mente video hoc opere te adiuvante impleatur mihi voluntas. Quod audientes suae mirabantur haesitantes quid tam orabile et inenarrabile vidisset, quod nollet prodere eis solito more, quia quaecumque per gratiam dei sciebat omnia eis patefaciebat. Sed tam vigilantiam circum inspectionis fidei suae, in qua eas allocutione sua suavissime